

1427 in orbem colligens, ita ut quum omnem fere Padi compleffet alveum, ex hostibus ferocius invecos facile circumfisteret. Erat in ripa fluminis cum terrestribus copiis Picininus, qui ubi armis non poterat, adhortatione & clamoribus suos medio ardore pugnae juvabat. Anceps certamen aliquandiu fuit: demum victor Venetus, præter eos quos ab initio interclusos diximus, quatuor alios galeones hostibus a fronte ademit. Tum vero Eustachius, etsi fero, sensit tamen se viribus & arte imparem Veneto congressum. Conspicatus itaque hostem ad suos, quos circumvenerat, opprimendos intentum, obversis repente proris, cum reliqua classe Cremonam abiit, ubi reduces naves, ratus quod erat, Venetam classem non multo post affuturam, omni nautico instrumento exiit. Qui ab initio interclusi fuerant, animadversa suorum fuga, qua cuique proximum fuit, ripis impacti, relictis navibus, in terram evasere. His Bembus potitus, fugientem hostem insequitur, eoque nusquam reperto, Cremonam propius accedens, in novum pugnae genus incidit. Philippus, haud procul inde tribus plurium tabulatorum castellis medio fluvio erectis, ita Padi alveum occluserat, ut nullam tam validam classem fore existimaret, quæ aut urbem circumfidere posset, aut in Galliæ intima penetrare: illorum duo e regione urbis, palis in altum demissis, imposita, & ripis & fluvio prominebant: tertium circa medium amnem crassiore materia innixum, tantum utrinque spaciū reliquerat, ut naves læva dextraque interlabentes facile missilibus affligi possent. Bembus id quod e duobus magis urbe aversum viderat, oppugnare adortus, haud multo certamine in suam potestatem redegit: neque ullo maiore negocio, quod huic proximum fuit, inde cepit. Ultimi oppugnatio eo fuit laboriosior, quo major subsidii spes militibus ob vicinitatem urbis fuit, quam reliquis: sed nocturna pugna, eaque ipsa laboriosa, id quoque Venetus expugnavit. Præsidia victor Bembus subiecto igni concremavit: palos quibus imposita fuerant, ne usui quandoque hostibus ad alia denuo opera instruenda esse possent, ad unum evulfit.

*Philippi  
classis a Ve-  
netis prosti-  
gatur.*